

EPISTULA LEONINA XLII

PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS GRATIS ET SINE ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XXXVIII INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina.php>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM QUADRAGESIMAM SECUNDAM!

ARGUMENTUM

FABELLA VILELMI HAUFF – PARS QUINTA ET ULTIMA: **CHALIFA CICONINUS** (in Latinum convertit Wilhelm Hundsrucker, partes priores insunt EL 35/39/40/41!). – FABELLA GRIMMIANA: **DE BREMAE MUSICIS URBANIS** („Die Bremer Stadtmusikanten“). -

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam quadragessimam secundam.

Huic Epistulae inest ultima pars symbolae Vilelmi Hundsrucker emeriti directoris studiorum superioris gymnasii Saldenburgensis. Partes priores iam legisti in Epistulis Leoninis XXXV, XXXIX, XL, XLI. Subiunctus est index verborum.

Addita est Fabula Grimmiana, cuius titulus originalis est «Die Bremer Stadtmusikanten». Attende: laetaberis !

Mox iam accipies proximam Epistulam (XLIII).

Cara Lectrix, care Lector, hac Epistulâ Leoninâ helluare et pancraticê vale et perge nobis favere!

Nicolaus Groß
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

d.Lunae, 06.º m.Septembris, a.2010

DE BREMAE MUSICIS URBANIS

Aliqui vir habuit asinum, qui ei diu iam fideliter servierat, sed cuius vires nunc defecerunt, ut in dies laboraret ineptius. Tum dominus asinum voluit pabulo privare, sed asinus cum animadverteret fortunam haud bonam sibi imminere, aufugit Bremam profectus. 'Ibi' asinus cogitavit 'fiam musicus urbanus'. Aliquantisper progressus incidit in canem venaticum in via iacentem, qui anhelabat tamquam currendo fatigatus. "Heus" asinus inquit "quid anhelas?" – "Eheu" canis inquit "quia senex sum et in dies magis debilitor nec iam in venatione currere possum sat celeriter, dominus meus voluit me occidere, itaque apocolavi; at quomodo nunc victum quaeram?" – "Audi, canis" asinus inquit "equidem ibo Bremam in urbem, ut ibi fiam musicus urbanus, i mecum, ut etiam fias musicus." – Canis assensus est, ambo iter perrexerunt. Paulo post in cattam inciderunt iuxta viam sedentem vultu miserrimo. "Heus" asinus inquit "quid tibi tam vehementer displicet?" – "Quisnam est hilaris, si res venit ad extremum" catta respondit, "quia senesco et dentibus meis hebescentibus m̄lo post fornacem sedere et nere quam mures venari, domina mea me voluit aquis submergere; aufugi quidem, sed nunc nescio, quid faciam: quo vadam?" – "Vade nobiscum Bremam, tu certe perita es musicae nocturnae, ergoies musicus urbanus." Catta assensa ceteros est comitata. Deinde tres bestiae extorres praeterierunt aulam, ubi in port sedebat gallus domesticus summis viribus cucurriens. "Tu clamitas" asinus inquit "sono perterricrepro, quid es facturus?" – "Eheu" gallus inquit, "iam fortunam bonam mihi praedixeram, quia est dies nostrae Carae Dominae, quo eadem lavit pannos Christi infantuli, quos vult siccare; at cras die Dominico cum veniant convivae, tamen dominam non miseret mei necnon coquae dixit se me cras velle comedere in iusculo ideoque hodie vespere me fore iugulandum. Nunc clamito quam fortissime, dum clamitare possum." – "Ah, Rubriceps" asinus inquit, "iam desine, potius nobiscum abeas Bremam, aliquid morte melius invenies ubique; cum sis bona voce, una musicam facere poterimus quam decentissime." Gallus autem cum id non reprobaret, omnes quattuor una abierunt.

At urbem Bremam non assequi poterant uno die; vespere in silvam pervenerunt, ubi pernoctare voluerunt. Asinus et canis magnae arbori se succubuerunt, catta et gallus sursum sunt nixi, gallus autem volavit usque ad arborem summam, ubi sibi esset summa securitas. Antequam gallus obdormivit, semel omnes ventos quattuor versus circumspectanti visa ei est ardere scintilla quaedam, et sodalibus acclamavit necessario haud procul esse aliquam domum, nam lucere quoddam lumen. Tum asinus: "Si ita est" inquit, "oportet profecti eo eamus, nam hoc loco malum est deversorium." et canis: "Ita est" inquit "nonnulla ossa et aliquantum carnis mihi haud noceant." Nunc profecti sunt versus

regionem, ubi lumen erat, quo mox viderunt lucidius lucere, etiam etiamque augescere, usque dum pervenerunt ad domum praedonum illuminatissimam. Asinus, cum esset maximus omnium, fenestram aggressus inspexit. “Quid vides, Canute?” gallus interrogavit. – “Quidnam videam?” asinus respondit. “Mensam stratam esculentis et potulentis pollucibilibus et praedones assidentes, qui iis helluantur.” – “Haec quidem” gallus inquit “apta essent ad nos.” – “Ita, ita” asinus inquit “eheu, utinam ibi essemus!” Tum bestiae consuluerunt, quomodo facerent, ut fugarent praedones; tandem invenerunt viam rationemque. Asino pedes anteriores erant fenestrae imponendae, cani nitendum erat in dorsum asini, catta in canem, et denique gallus sursum volavit capitique cattaes insedit. Haec cum facta essent, omnes universi signo dato coeperunt musicam suam facere: asinus rudebat, canis latrabat, catta feliebat (gnaulabat), gallus cucurriebat; deinde per fenestram tam vehementer in conclave irruerunt, ut quadrae vitreae diffractae stridentes deciderent. Praedones autem atroci clamitatione territi raptim surrexerunt opinati phantasma per fenestram invasisse summa formidine correpti in silvam aufugerunt. Nunc quattuor sodales ad mensam assederunt, iis acquiescentes quae erant relicta, tam avide cibos degluttiverunt, quasi esurivissent per quattuor septimanas.

Cum quattuor musici epulari finivissent, lumen exstinxerunt et quaesiverunt cubilia, qualia respondebant uniuscuiusque commoditati. Asinus se incubuit stercori, canis post ianuam, catta foco, prope cinerem calidum, gallus insedit trabi gallorum; cum autem essent fatigati longo itinere, mox obdormiverunt. Media nocte transacta praedones cum viderent nullum iam lumen in domo lucere, omniaque videbantur quiescere, praedonum capitaneus: “Temere” inquit “terruti sumus, et aliquem iussit domum perquirere. Praedo autem emissus totam domum invenit esse quietam, iit in coquinam lumen accensurus ramento sulphurato sumpto cattaes igneos oculos ardentes cum putaret esse carbones vivos, ramentum iis apposuit, ut inflammaretur. At catta ludificari non passa praedonis faciei insiluit et sput et scalpsit. Tum idem magno terrore correptus cucurrit ad ianuam posticam, sed canis, qui ibi cubabat, prosiluit et praedonis crus momordit; praedo autem cum per aulmstecus praetercucurrit, ab asino luculenter impulsus est ungula posteriore, gallus autem strepitu e somno experrectus et agilis factus de trabe clamavit: “Cicerici!” – Tum praedo quam rapidissime recurrit ad capitaneum et “eheu” inquit “in ista domo sedet sagana atrocissima, quae mihi inhalavit longisque digitis faciem meam dilaceravit; ante ianuam autem stat quidam vir cultro armatus, qui pupugit pedem meum,



et in aula iacet monstrum nigrum, quod me mulcavit clava lignea: et supra in tecto, ibi sedet iudex, qui clamavit: ‘Afferte mihi furciferum’. Tum apoculavi quam rapidissime.”

Ex hoc tempore praedones non iam ausi sunt domum introire, sed quattuor musicis Bremianis eadem tam bene placuit, ut nollent habitaculum mutare. Is autem, qui hanc fabellam narravit novissimus, eius ôs adhuc est calidum.

FINIS

Hanc fabellam Grimmianam, quae inscribitur “Die Bremer Stadtmusikanten” in Latinum convertit



Nicolaus Groß

<http://www.leolatinus.com/>

CHALIFA CICONINUS

fabella

a Vilelmo Hauff theodisce
scripta

a Vilelmo Hundsrucker in
Latinum conversa

**PARS QUINTA ET ULTIMA (cfr
EL 35, 39, 40, 41!)**



His verbis per lacunam muri auditis ciconiae maximo gaudio impleti pedibus longis ad portam parietinarum tam celeriter cucurrerunt, ut strix vix sequi posset. Ibi chalifa animo motus strigi dixit: “Salvatrix vitae meae amicique mei, me, ut videas nos tibi perpetuam gratiam habere pro tuo auxilio, maritum accipe!” Tum autem ad orientem versus est. Ciconiae ter rostra longa ad solem hōc tempore ex montibus orientem advertebant. “Mutabor” clamaverunt statimque mutati sunt.



Magno gaudio vitae redonatae impleti dominus famulusque ridentes et flentes inter se complexi sunt. Sed deinde, cum se convertissent - nescio, quibus verbis dicam - quantum illi stupefacti sint! Cum respicerent, ante eos stabat pulchra femina magnificē decorata, quae subridens chalifae manum porrexit. “Nonne cognoscis tuam strigem?” inquit. Et profecto strix in pulchram feminam mutata erat. Chalifa eius pulchritudine et gracilitate ita laetatus est, ut exclamaret se

fortunatissimum fuisse eo, quod in ciconiam mutaretur. Nunc tres unā Bagdetiam profecti sunt. Chalifa vestibus suis indutus non solum invenit capsam pulvere magico impletam, sed etiam marsupium. Itaque in vico proximo res ad iter necessarias emit.



Ita iter facientes brevi ad portas Bagdetae venērunt. Ibi autem adventus chalifae magnae admirationi erat, quia mortuus esse dictus erat. Quam ob rem populus magno gaudio affectus est, quia principem dilectum recuperaverat. Eo magis odio in deceptorem Mizram accensi in palatium incurrerunt et magum veterem filiumque eius cepērunt. Chalifa magum veterem in idem conclave parietinarum, in quo filia rēgis ad strigem mutata habitaverat, misit et eum ibi laqueo necari iussit. Filio autem artium magicarum patris imperito concessit, ut ipse decerneret, utrum mori an pulverem magicum sumere mallet. Mizrae pulverem eligenti vasirus capsam porrexit. Magnā copiā pulveris et verbo magico chalifae Mizra in ciconiam mutatus est. Chalifa eum in caveam

ferream claudi et in horto suo constitui iussit.

Chalifa Chasidius cum uxore, filiā rēgis, vitam longam contentamque agebat. Maximo gaudio erant ei horae, quibus vasirus eum post meridiem visitabat. Et Chalifa maximē gaudens imitabatur, quomodo vasirus in ciconiam mutatus se gessisset. Graviter pedibus extensis gradiebatur in conclavi, glottorabat, brachia quasi âlās movebat et monstrabat, quomodo ille frustra ad orientem se inclinans ‘Mu-Mu-Mu-‘ clamavisset. Uxori chalifae liberisque eius hoc spectaculum magno gaudio erat. Cum autem chalifa diutius glottoraverat et se inclinans ‘Mu-Mu-Mu-‘ clamaverat, vasirus ridens minabatur se ea, quae ante ianuam filiae rēgis in strigem mutatae pacti essent, uxori chalifae narraturum esse.



Cum Selimus Baruchus fabulae suae finem fecisset, mercatores se hac narratione contentissimos praestitērunt. “Profecto, tempus postmeridianum transactum est nobis inscientibus”, inquit unus ex eis operimentum tentorii reponens. “Vento vespertino fortiter flante bona occasio est iter pergendi.” Comitibus hoc consilium placuit; itaque tentoriis depositis caravanna mercatorum profecta est eo ordine, quo advenerat ...

FINIS

Titulus originalis: „Die Geschichte von Kalif Storch“

Theodiscê scripsit



Wilhelm Hauff (1802-27)

In Latinum convertit picturisque ornavit

Wilhelm Hundsrucker

Director studiorum superior emeritus

Saldenburgensis

INDEX VERBORUM RARIORUM RECENTIORUMVE

***Bagdētia**, -ae f., orig. *Bagdad*. *Bagdētiēnsis, -e adi.

GRAESSE/BENEDICT (= GrB.), *Orbis Latinus* oder Verzeichnis der wichtigsten lateinischen Orts- und Ländernamen. 2.ed. Berlin 1909, p.36. "Bagdetia, Bagdad, St., asiat. Türkei."

+caravanna, -ae f. orig. *Karawane*.

Christian HELFER (= He.), *Lexicon Auxiliare*, 3.ed., Saarbrücken 1991, p.301, s.v. Karawane: +caravanna, -ae f. [MLW = Mittellateinisches Wörterbuch II 2,266,49].

+chalīfa, -ae m., orig. *Kalif*.

He.297, s.v. Kalif: “*chalīfa, -ae m. [(P)M.NORBERG: De Chalifis litterarum studiosis. Diss. Lund 1791; Math.NORBERG: De magnificentia Chalifarum. Diss. Lund 1808]

cicōnia, -ae f. orig. *Storch*.

PUBL.SYR.mim.7; VARROsat.Men.272; HOR.sat.2,2,49; OV.met.6,97; PHAEDR.1,26,3; PLIN.nat.10,61. **cicōnīnus**, -a, -um SIDON.ep.2,14 adventus ciconinus.

clatrātus, -a, -um.

fenestra clatrāta PLAUT.mil.379; orig. *Gitterfenster*.

forulus reciprocus. orig. *Schublade*.

He.489, s.v. **Schublade forulus reciprocus** [Scheller, *Ausführliches und möglichst vollständiges lateinisch-deutsches Lexicon oder Wörterbuch. Deutsch-lateinischer Teil. 2.Auflage, Leipzig 1789*]

***fūmisūgium**, -ī n., orig. *Pfeife*.

He.418, s.v. Pfeife <Tabakspfeife>: “...*fūmisūgium, -ī n. [Karl Ernst Georges: *Deutsch-lateinisches Handwörterbuch. 2.Auflage Leipzig 1839*]“

glōttorō, -āre, orig. *Klappern* (sonus ciconiarum).

ANTHOLOGIA LATINA 733,7 (1079,7), 762,29 R. (223,29 M. gloctorat). *glōttorātiō, -ōnis f.

parietinae, -ārum f.pl. orig. *Ruine*.

SIS.hist.24; CIC.Att.5,19,3 ; Tusc.3,53 ; al.

pecten, -inis m. orig. *Kamm*.

PLAUT.capt.268; OV.met.4,311; fast.1,405; SEN.dial.10,12,3; PETRON.162,2.

***pistolium**, -ī n., orig. *Pistole*.

He.424, s.v. Pistole: “...*pistolium, -ī n. [Eichenseer, *Vox Latina* 81,108]”

rem emere involūtam. orig. *die Katze im Sack kaufen*.

cfr Karl Ernst Georges, *Ausführliches Deutsch-Lateinisches Handwörterbuch, tom.2., (K-Z), Leipzig 1882, col.816, s.v. Sack: „...Sprüchw., die Katze im Sack kaufen, rem involutam emere (nach Sen.ep.80,8).“*

SEN.ep.80,9 Equum *empturus* solvi iubes stratum, detrahis vestimenta venalibus ne qua vitia corporis lateant: hominem *involutum* aestimas? Mangones quidquid est quod displiceat, id

aliquo lenocinio abscondunt, itaque *ementibus* ornamenta ipsa suspecta sunt: sive crus alligatum sive brachium aspiceres, nudari iuberet et ipsum tibi corpus ostendit.

***sēmīruīnōsus**, -a, -um. orig. *halbzerfallen*.
cfr **ruīnōsus** CIC.off.3,54 aedēs ruīnōsa.

somniculus, -ī m. orig. *Schläpfchen*.

NOTAE TIRONIANAE p.83,17 (Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, 14.a ed., Hannover 1976, tom.2, col.2724, s.v.).

stibadium, -ī n. orig. *Sofa*.

He.508, s.v. Sofa: “sponda, -ae f.; stibadium, -ī n.; cathedra longa.
stibadium, -ī n. MART.14,87; PLIN.ep.5,6,36; CIL 6.2251.

strīx, strīgīs f. orig. *Nachteule*.

cfr OLD (Oxford Latin Dictionary) p.1829, s.v.:

“...PL.Ps.820: strīg-;...A kind of owl, regarded as a bird of ill omen, sometimes as a vampire or evil spirit.

Non condimentis condiunt, sed strigibus uiuis conuiuis intestina quae exedint PL.Ps.820; plumam...nocturnae strigis HOR.Epod.5.20; e tectis strix uiolenta canat TIB.1.5.52; consuluit ... striges nostro de sanguine (lena) PROP.4.5.17; OV.Fast.6.139; SEN.Med.733; quae striges comederunt neruos tuos...? PETR.134.1; PLIN.Nat.11.232; sparsis strix sanguine pennis SIL.13.598.”

+vasīrus, -ī m., orig. *Wesir*, **+vasīrus maior**, orig. *Großwesir*.

cfr He.617, s.v. Wesir: „*vasīrus, -i m. [E.KAEMPFER 1712,140; 1582, O.G.de BUSBECQ 1740: visirius]“.

**Versionem Latinam retractavit
indicemque verborum composuit**

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

**HANC EPISTULAM LEONINAM
QUADRAGESIMAM SECUNDAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE COMPOSIT

d.Lunae, 6.º m.Septembris, a.2010

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>